



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 13. Vtrum satisfactiones Christi remissionem peccatorum causent in genere causæ formalis, vel solum in genere causæ exigituæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

13. Respondeo distinguo maiorem: ad satisfaciendum ex rigore iustitiæ pro peccatis, & offensis, requiritur, vt nullum debitum constitutum peccati, & offensæ, remittatur gratis, & sine satisfactione, concedo; non constitutum peccati, & offensæ, & quo ablato, remaneat totum peccatum, & tota offensæ, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Vt satisfiat, ex rigore iustitiæ pro offensæ, & pro peccato, sufficit, vt satisfiat pro toto debito constitutum offensæ, & peccati, non autem requiritur, vt satisfiat pro debito constitutum offensæ, & peccati, & quo ablato, remanet tota offensæ, & totum peccatum; sed dato Christo redemptore, nihilominus remanet tota offensæ, & totum peccatum, cum nos remaneamus peccatores, sicut ante, adeoque remanet totum debitum constitutum offensæ, & peccati; ergo Christus satisfecit adæquatè pro peccatis, & nullum debitum constitutum peccati remittitur, nisi ex satisfactione Christi applicata ad eius remissionem. Addo Christum satisfacere, etiam pro debito carenti Christo vt redemptore. Debitum enim carentiæ distinguitur ab ipsa carentiæ; ergo licet detur Christus, qui possit redimere, tamen peccator, quandiu remanet peccator, remanet indignus Christo vt redemptore, & Christus satisficit pro hoc debito, & pro hac indignitate.

QVAESTIO XIII.

Vtrum satisfactiones Christi remissionem peccatorum causent in genere causa formalis, vel solum in genere causa exigitiuæ?

1. **V**identur causare in genere causæ formalis, vt docent aliqui. Homines enim constituuntur formaliter peccatores per solum peccatum Adæ sibi extrinsecè, & moraliter applicatum; ergo constituuntur formaliter mundi à peccato per satisfactiones Christi ipsis extrinsecè, & moraliter applicatas.

2. Respondeo cum communi sententia, satisfactiones Christi causare remissionem peccatorum, non in genere causæ formalis, sed in genere causæ exigitiuæ.

3. Probatur primo; nam vt suppono ex lib. 6. de gratia, quæst. 82. peccatum habituale non potest formaliter remitti, & auferri, nisi per formam physicè intrinsicam ei, cui remittitur; sed satisfactiones Christi sunt physicè extrinsecæ peccatoribus; ergo &c.

4. Probatur secundo: nam etiamsi admittatur hominem de potentia absoluta posse constitui formaliter iustum, & sanctum, ac Deo gratum per iustitiam, & sanctitatem Christi, sibi extrinsecè applicatam, tamen

ex Concilio Tridentino sect. 6. cap. 7. de fide est contra hæreticos nostri temporis, hominem de facto constitui formaliter iustum, & sanctum, non per iustitiam Christi sibi extrinsecè applicatam, sed per gratiam, sanctitatem, & iustitiam singulis iustis intrinsicam, ac physicè inhærentem; ergo etiamsi admittamus hominem de potentia absoluta posse constitui formaliter mundum à peccato habituali per satisfactiones Christi ipsis extrinsecè applicatas, tamen dicendum est, quod de facto mundatur formaliter solum per gratiam sibi extrinsecè, & physicè inhærentem: ideoque Tridentinum sect. 6. cap. 7. dicit: *unicam causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque secundum propriam mensuram*; ergo sicut vnica causa formalis nostræ iustificationis positiuæ est nobis intrinsecæ, sic vnica causa formalis nostræ iustificationis negatiuæ, qua ex peccatoribus constituimur formaliter non peccatores, est nobis physicè intrinsecæ.

5. Ad argumentum in contrarium, nego antecedens, ac dico, quod homines causaliter, & exigitiuè constituuntur peccatores per peccatum Adami ipsis extrinsecè applicatum, formaliter autem constituuntur peccatores per priuationem gratiæ vnique intrinsecam, quæ gratia esset ipsis debita ratione eleuationis, eaque priuatur propter peccatum Adami ipsis extrinsecè applicatum; ergo proportionaliter homines constituuntur causaliter, & exigitiuè mundi à peccato per satisfactiones Christi ipsis extrinsecè applicatas; formaliter autem constituuntur mundi per ablationem priuationis gratiæ, seu per ipsam gratiam ipsis intrinsecè, ac physicè inhærentem.

6. Dices: eo ipso, quod Deus non habet ius auersionis ab homine, homo intelligitur formaliter non peccator; sed per satisfactiones Christi extrinsecus homini applicatas Deus intelligitur non habere ius auersionis ab homine; ergo &c.

7. Respondeo, nego maiorem, ac dico, quod per illam ablationem iuris homo intelligitur non peccator solum exigitiuè, formaliter autem intelligitur non peccator per hoc, quod ablata sit deformitas intrinsecæ priuationis gratiæ alioquin debita, & qua priuatus sit propter peccatum; sed talis deformitas auferitur formaliter, non per satisfactiones Christi, sed per ipsam gratiam homini intrinsecè, ac physicè inhærentem: ergo homo constituitur formaliter non peccator per ipsam gratiam homini intrinsecè, ac physicè inhærentem, non autem per satisfactiones Christi homini extrinsecè, ac solum moraliter applicatas.

QVAE: